Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1311
Quelle:
Copyright:

quid iste ſpectabiliſſimus vir pro pace et quiete et bono ſtatu eccleſie patauien. effectuoſiſſime fecerit, melius veſtre norunt dominaciones &c. Haec de *Nicolao* aetate ſua certe insigni Theologo Orator noſter, cujus geſtorum Compendium exhibetur P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 101. Memorantur ibi Mſ. *Sermones* ejus *Exequiales.* Annum mortis 1436. ſubplet *Job. Joſ. Locheri Speculum Acad. Vien.* edit. *ibid.* 1773. 8. Sed, dum in utroque hoc Opere *Nicolai* annus emortualis dicitur 1433. reſcribendus eſt e *Cod.* noſtro annus 1434. niſi dicas Exequias ejus in alterum annum dilatas fuiſſe. Atque diutius differri poſſe, paucis abhinc annis vidimus.

X. *fol.* 267. *Principium primum in ſecundam quinquagenam pſalmorum. factum per fratrem Mathiam fabri de Auguſta baccalarium Theologie. ordinis fratrum Carmelitarum. in ſolenni vniuerſitate Wiennenſi Anno 1469. circa feſtum omnium ſanctorum.* Publicis igitur Lectionibus ſuis prolusit hic Noſter: *In Nomine ſumme atque ſemper benedictiſſime trinitatis — Ex permiſſione ac licentia inclite facultatis Theologice* &c. Tres pro more Scholae Partes habet Proluſio. Primo eſt *diuini auxilij inuocacio.* Secunda *Theologicalis ac diuinalis ſcientie in ſacri canonis libris tradite* et praecipue Pſalmorum *recommendatio.* Tertia *gratiarum habicio pariter et actio* Auditoribus. Atque id in fine nominatim praeſtatur *Mathiae* Abbati *Scotorum*, *Stephano* Praepoſito Can. Reg. S. *Dorotheae*, *Alexio de Droſendorf* Officiali *Paſſav.* *Virgilio Schrottauer* Anwaldo Caeſ. *Andreae Schenprucker* Conſuli, *Martino Enthamer* Judici Civit. *Johanni Carpentarii* et *Leonardo Praxatoris* Ord. *Carm. Budenſi* et *Viennenſi* Prioribus, *Johanni de Pfortzen* Facult. Artium Decano. En quales Viri ἀκροατηριον Theologicum *Mathiae* cohoneſtarint.

XI. *fol.* 278. *Principium ſecundum in canonicas petri factum per fratrem Mathiam fabri de Auguſta baccalarium Theologie ordinis fratrum carmelitarum. In vniuerſitate Wiennenſi. Anno 1470.* Proluſio haec incipit: *In nomine ſanctiſſime trinitatis* &c. et duas tantum Partes habet. Prior eſt *Collacio tocius ſacre ſcripture recommendatoria generaliter et propoſitarum canonicarum ac ſui autoris ſpecialiter.* Altera *gratiarum actio.* Sed haec abeſt a *Codice.* Hic itaque *Sex* Opuſcula complectitur Autoris inter Coaevos non indocti, ſed mihi quidem nullibi reperti, et in erudita *Fabrorum* Phalange tam a *Mathia Fabro* Jeſuita, quam a *Fabro Auguſtano* dicto *Johanne* O. P. probe diſtinguendi.

CCCXXXVII.

Codex membraneus germ. Sec. XVI. Folior. 23. 4. nitide exaratus continet *Poema* rhythmicum, cujus *Liber* I. de Novem Choris Angelorum, II. de Angelis 523